



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 7. Piltipicone conciliato pax cum Omaguacis stabilitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Demonium  
invidiæ.*

## CAPUT

VII.  
Piltipicone  
conciliatio  
pax cum  
Omaguacis  
stabilitur.  
Piltipiconis  
mores.

*Gasparis  
Monroio ma-  
gnanimitas.*

*Monroii  
Oratio.*

*Monroii pru-  
dentia.*

*Omaguaca  
pacificatur.*

## CAPUT

VIII.  
Reliquæ  
Omaguaca-  
rum res nar-  
rantur.

temporibus, quibus solemnè ceremoniâ sacro Fonte Catechumeni tingebantur, frequentissimos simul canes in forum, præter morem, convenisse; adeo terribiles latratus baubatusque edentes, nihil ut dubitaretur eorum fauces infestas esse ab Dæmonibus, prædam sibi eripi caninâ rabie ululantibus.

ULTERIORIBUS ausis obstabat Piltipico, Mortalium ferocissimus, interioris Omaguacatum regionis oppidum insidens. Is ab triginta fermè annis omni se scelere turpaverat, Sacerdotum sanguine sacrilegas manus sæpè imbuerat, templa cremaverat, Cruces everterat, Oppida & Villas Hispanorum depopulatus fuerat, viatores, quoties se occasio obtulerat, atrociter mactaverat; omnia denique, externi nominis odio, sulque deque habebat. Nihil profuerant Prætoris Tucumaniz conatus, nihil Hispanorum virtus tot acceptis cladibus in vindictam irritata, nihil blanditiæ, nihil promissâ, nihil Baptismi olim ab eo suscepti reverentiâ commemoratio: incassum ceciderant cuncta. Gaspar Monroius, considerata hujus monstri conditione, non satis apud se statuebat, quid sibi faciendum esset: nam si se tyranno objectum iret, certa mors timebatur: si obstaculum non amoliretur, ultra tendere non poterat. Certus denique pro propagandâ fide periculi adeundi, amore Christi piè temerarius, cum Socio se dat in viam. Adventantem Piltipico superbè excepit: sed Monroius æstimans non aliam rationem ad eludendam hominis superbiam certiores fore, quàm si honorem parvi se facere ostendèret, Christianam fortitudinem ferocitati opponens, in hunc fermè modum tyrannum alloquutus fertur. *Vides, inquit, ô Piltipico, quanto tua salutis desiderio flagrem, qui, cognita morum tuorum insolentiâ, mortem non veritus, inermem me & indefensum tibi objectum venerim: nullus Sacerdos in Omaguacatum regione tua sævitia superest: tu non unos crudeliter excruciatos trucidasti: templa Christiana combussisti: Cruces deturbasti: sacra prophanaque, miscuisti. Quæ scelera sigillatim recenserem, si iracundiam tuam irritare, quàm te ad penitentiam invitare, mallet. Hæc una causa spernendæ mortis fuit, ut te ad penitentiam excitatum, matura jam Dei ira eriperem. Nemo mortem amat, nisi egregio præmio inescatus. Tua salus aditæ mortis magnam pretium mihi est, quæ olim sanguine Christi constitit: redimere meo periculo veni æterna supplicia tue senectuti in terram proclivi imminentia. Pro te vadem me sistam æterno Iudici, si respiscere mavelis, quàm in crudelitate persistere. Elige de duobus unum, vel salutem tuam, vel meam mortem: utrumlibet mihi in votis est; nam pro Christo mori lucrum erit, & perditioni te eripere summum gaudium.* Hæc erecto præsentique animo cum dixisset, atque insuper Hispanorum iras supra modum proritas exaggerasset, advertit tyrannum posito supercilio nonnihil se humanius habuisse: nam mox è levi cucurbitâ vinum Monroio propinavit; qui quamvis summopere abhorreret ab ejusmodi portione, quam sciret è tritico Turcico, vetularum dentibus trito, factam, admisit tamen, & summis labris libavit, tantâ approbatione hominis, suum poculum admitti gaudentis, ut illic se Sacerdoti inclinans, plerosque oppidanos suos Christianâ doctrinâ & Sacramentis imitandos stiterit. Monroius, in omnem occasionem rei benè gerendæ intentus, illicet à Piltipicone petit, & impetrat ad ultiores Omaguacatum populos commeatum: apud quos magno fructu verbum Dei seminatam ivit. Ex eâ expeditione redux, Piltipiconi se iterum sistit, cum quo pacis conditiones ex voto constituit. Quibus rebus cognitis, Joannes Velascus Ramites Tucumaniz Prætor omnibus laticius incessens, datis ad Gasparem Monroium honorariis literis, legitima confirmatæ pacis instrumenta, suo & urbanorum Magistratum Chyrographo impressa, mittit, rogans, ut ea nomine publico Piltipiconi explicaret. Quâ re etiam ex animi sententiâ confectâ, finitimæ Hispanorum urbes gratulationis signa edidère, pacem, vitam, bona, villas, prædia, templa, urbes, filios, omnia denique Gaspari Monroio, pacis arbitro, se debere affirmantes.

INTERIM Petrus Agnascus, multis in ducentarum leucarum itinere baptizaris, I ex Frontonum finibus Tucumaniz urbes transectus, Gaspari Monroio, prout in mandatis habebat, se tandem adjunctum venit: qui adunatis viribus Omaguaca-

rum